



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

145. De Egberto Archiepiscopo Eboracensi & Svvierto Abbate Anglo.  
Ostenditur iterum eorum confusio cum Egberto Archimandrita & Svvierto  
Sancti Willibrordi Coepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

pum, vbi inter feroces Saxones omnia feruebant periculorum & laborum plena.

## DISSERTATIO CXLV.

De Egberto Archiepiscopo Eboracensi & Swiberto Abbate Anglo. Ostenditur iterum eorum confusio cum Egberto Archimandrita & Swiberto Sancti Willibrordi Coepiscopo,



Ac tempestate eximijs virtutum ornamentis eminebat in Northumbrię Regno V. Egbertus, frater Egberti Northumbrorum Regis, Episcopus Eboracensis septimus, & Archiepiscopus secundus, qui pallium Archiepiscopale, quod Paulinus vi hostilitatis loco pulsus apud Roucestriã diem obiens reliquerat, & successores repetere neglexerant à sede Apostolica recuperavit. De eo Malmesburiensis lib. 3. de gestis Pontificum Anglorum.

*Hic omnium liberalium artium armarium, ut ita dicam, fuit & nobilissimam bibliothecam Eboraci constituit: cuius rei testem idoneum aduoco Alcuinum, qui dixit in epistola ad Carolum Augustum: Date mihi exquisitiores eruditionis scholastica libellos, quales in patria habui per bonam & deuotissimam Magistri mei Egberti Archiepiscopi industriam, & si places excellentia vestra, remittam*

Aaaa 3



*mittam aliquos ex pueris nostris, qui excipiant inde quaque neces-  
saria, & reuehant in Franciam flores Britannia. Sepultus est cum  
fratre suo in vna porticu apud Eboracum post 36. annos Episcopa-  
tus.*

Lege alios Anglię Scriptores, qui eum omnes præcla-  
ris laudibus efferunt. Non est ille, quemadmodum ex  
corrupto textu Marcellini, siue potius Pseudomarcelli-  
no nonnulli hauriunt, à quo S. Willibrordus & socij in  
Frisiam sunt directi; hic enim nec Eboraci, nec alibi Ar-  
chiepiscopus fuit, imo nec Episcopus. Insuper à iuvene-  
tute in Hiberniam abiit & anno 729. ibidem obiit. Ille  
Archiepiscopus Eboraci in Northumbria perpetuò per-  
seueravit, ac demum anno 766. ibidem vitam finiuit.  
Vide supra dissertatione 13. Sub hoc Archiantistite in An-  
glia, eadem tempestate viguit quidam Swibertus Abbas,  
qui incensus amore gentium conuertendarum, in Fri-  
siam & Germaniam est profectus, verosimiliter ab Ar-  
chiepiscopo Egberto emissus. De quo ita Kranzius in Me-  
tropoli Saxoniae: *Eodem ferme tempore in Orientali Saxonia  
ultra Visurgum, quartum insit Rex esse Episcopatum in loco Ko-  
uende illo tempore satis celebri atque habitatoribus frequenti, sed  
commodiorem deinde conspicati locum, in Verdam, oppidum tunc,  
quam nunc, celebrius, transtulerunt. Ibi que consecratus est iussu  
Regis Episcopus vir magna sanctitatis Swibertus, professione Mo-  
nachus, Abbas, natione Anglicus.*

*Swibertus autem in Anglia moratus, cum audiret congentiles  
suos Saxones Anglos iam auscultare Euangelio domitos armis Caro-  
li, prestitit hoc Christo, prestitit hoc genti, quam sibi & suis cog-  
natam intellexit, ut transito mari conuolaret in Prouinciam predica-  
tionibus indigentem, quod messis multa & pauci cernerentur ope-  
rarij. Huius viri Zelum cernens Rex Carolus, insit Ecclesia noua  
Verdensi primum Episcopum consecrari. Vir autem sanctus Zelo Dei  
satis*



*satis feruens, Prouinciam sibi creditam solerter obiuit, serens uerbum Dei in agro cordis humani, multos conuertens ad Christum, multis clarens miraculis dum uiuere, pluribus etiam effulgens dum iam seculo & uita sanctus migrasset ad Christum.* Attende, queso, Lector quæ hic de Swiberto Episcopo Verdeni Kranzius, attribui etiam S Swiberto S. Willibrordi confocio de quo egimus sepius supra: quod Abbas, quod in Saxoniam ierit, quod Episcopus Werdenfis seu Verdenfis, sub Carolo Episcopum egerit. Deinde quæ Marcellinus apud Suriū 1. Martij, tribuit Swiberto S. Willibrordi sodali, qui tempore est prior, quadrare in Swibertum illum posteriorem, de quo Krantzius; minime in hunc priorem: ut quod cap. 4. dicitur S. Egbertum Archiepiscopum Eboracensem in Ecclesia Metropolitana Swibertum ordinasse Canonicum, illic secum manere præcepisse, in eo conuentu per biennium Canonicum egisse, ac statim factum Abbatem Dacorensē, post unius anni regimen statim ab eodem Archiepiscopo in Frisiam & Saxoniam emissum, prædicasse in Brunswiik ultra Weseram, quæ omnia sine incommodo adscribi possunt Swiberto secundo, neutiquam primo; ut mihi quis non ægrè concedat, quod priuatim à plurimis annis sensi, acta S. Swiberti sodalis S. Willibrordi, quæ sunt apud Suriū supra, esse uitiata, confusa, & commixta ex actis Swiberti illius, & Swiberti Krantziani, à quodam, non S. Marcellino, sed Pseudomarcellino. Fossent hæc intelligi ex ijs quæ superius de Egberto Archimandrita & S. Swiberto differuimus. Atamen declarabo breuiter per singula. Ait putatitius S. Marcellinus cap. 4. & 6. S. Swibertum Eboraci factum Canonicum ab Egberto Archiepiscopo: deinde Abbatem & post rectam vno anno Abbatiam statim in Frisiam emissum



sum cum S. Willibrordo ab eodem Egberto quæ S. Swiberto neutiquam conueniunt; nam toto tempore vitæ eius Eboraci nullus Egbertus Episcopus aut Archiepiscopus à quo Canonicus & Abbas crearetur ac in Frisiam mitteretur. Nec Egbertus qui S. Willibrordum cum eo in Frisiam destinauit Episcopus aut Archiepiscopus fuit, prout fuse probauimus dissertatione 13. Canonicum Eboracensem aliquando egisse, non potest nisi mera coniectura haberi cum testimonium bonæ fidei nullum suppetat.

Abbatem fuisse nec mihi persuadeo, eo quod Beda copiosus descriptor virorum in Ecclesiastica dignitate constitutorum sub ditione Eboracensi, nullius Swiberti Abbatum meminerit, imò cum lib. 5. cap. 11. honorifice eum prædicat ne vel minimum Abbatiaë indicium suggerit silentio hoc aliàs numquam pressurus. 2. Quod S. Swibertus priusquam in Frisiam concederet in Hibernia Asceticae & Monasticae disciplinae vacaret sub Archimandrita Egberto quemadmodum S. Willibrordus aliique eiusce perfectionis comites. Quomodo enim aliàs habuit imperium emittendi S. Egbertus? quomodo eum ad opus illud elegisset nisi subiectum discipulum? certe non Abbatem, nec in Hibernia existens in Eboraco versantem. 3. Si Abbas fuerit S. Swibertus, si tanta eluxerit pietate, virtute, doctrina, quantis in textu Marcellinus eum effert, si tantæ nobilitatis, si Canonicali, si Abbatiali titulis ornatus, cur S. Willibrordo fuit postpositus qui numquam tales titulos gessit? Cur non præpositus, cur non ipse ductor Apostolici agminis? puto ea veritate scribi ab Authore S. Swibertum Canonicum & Abbatem qua cap. 5. S. Wigbertum scribit Canonicum, de quo tamen Beda lib. 5. historiae cap. 10. postquam enarrasset quomodo Frisiam  
adire



adire tentantem Egbertum oraculum diuinum impediuerit, subdit de Wicberto: *At vero unus de socijs eius vocabulo Wicbertus cum esset & ipse contemptu mundi ac doctrina scientia insignis (nam multos annos in Hibernia peregrinus Anachoreticam in magna perfectione vitam egerat) ascendit nauem & Frisiam perueniens duobus annis continuus genti illi ac Regi illius Radbodo uerbum salutis predicabat. Neque aliquem tanti lab oris fructum apud Barbaros inuenit Auditores. Tunc reuersus ad dilectam locum peregrinationis solito in silentio Domino vacare cepit. Et quoniam externus prodesse ad fidem non poterat, suis amplius ex uirtutum exemplis prodesse curabat. Nulli hic est inigne Canoniale, quinimo omnia in contrarium sonant. qui in Wicberto peccauit facile credendus est in S. Swiberto peccasse.*

Hinc infertur multo minus post Canonicatum in Eboraco post rectam eiusdem Diocesis Abbatiam statim in Frisiam ad conuersionem Gentium migrasse, ut uult idem Marcellinus. quomodo enim ipse Egbertus apud Hibernos in solitarijs locis conuersans mitteret ex Eboraco Angliæ Prouincia à qua procul aberat? quam ipse haberet ibidem Authoritatem? quomodo ipse imperium exerceret in Canonicum Eboracensem, in Abbatem? Præterea clare est uidere ex Beda, Alcuino alijsque probatis historijs S. Willibrordum, Swibertum reliquosque non immediate ex Eboraco, ex Canonicatu aut Abbatia Eboracensi, sed immediate ex Hibernia ex schola S. Egberti in Frisiam fuisse dimissos. Vide supra dissertatione 12. & 13.

Similis ponderis apud me est Bruynswicana prædicationis adscripta S. Swiberto à Marcellino cap. 17. & 18. Sæpòsito namque hoc Authore & ijs qui ex illo hauserunt, nullus eam asserit. Mansit S. Swibertus continuo in Frisia, Werda & vicinis Occidentalis Saxonie (Westphaliæ) locis à quibus Bruynswicum longe distat. Nemo O-



ricalis Saxoniae quae est ultra Visurgum & in qua Bruynswicum descriptorum, inter quos est Krantzius in ea habitans ac exactus Saxonum explorator, nullus, inquam, est qui agnoscit conuersionem aut praedicationem in Bruynswico aut Orientali Saxoniam ante regnum Caroli Magni qui primus armis duram Gentis ceruicem ad admittendam Christianam praedicationem inflexit. Et cur quis faciet S. Swibertum excurrentem latissime ultra Visurgum per intermedios rigidos & refractarios Barbaros, cum in Westphalia sat esset materiae laboris & periculi? Adde Bruynswicum tempore S. Swiberti non fuisse grandem vicum quemadmodum scribit Marcellinus, imo ne vicum, ut mox declarabitur. Optime vero eadem quadrant Swiberto posteriori de quo agit Krantzius. Vixit ille in Anglia sub Egberto Archiepiscopo Eboracensi mortuo anno 766. Ab ipso in Abbatem creatum, nihil est quod vetat credere: fuit enim teste Krantzio Abbas in Anglia, sicut etiam duo eius successores in Episcopatu Verdensi. Canonicum egisse, non est quod inficiemur. Nec obstat quod à Krantzio Monachus nominetur, nam Monachi eo tempore & posterioribus saeculis in Britannia Ecclesias Cathedrales occupabant, Canonicorum locum sustinebant, Canonici appellabantur. Ab Egberto Archiepiscopo in Saxoniam destinatum, omnino conforme est. Bruynswicensibus praedicasse facile fuit, quandoquidem in Orientali Saxoniam, cui adnumeratur Bruynswicum, continuo versaretur, & Bruynswicum à Verda non adeo longe distet. Hinc ergo disce Lector & iterum mihi concede acta S. Swiberti adscripta S. Marcellino apud Surium prima Martij, esse infincera, confusa & commixta ex actis S. Swiberti socij & Coepiscopi S. Wilibrordi, & actis Swiberti posterioris primi Episcopi Verdensis

Verdensis



Verdenſis apud Krantziũ. Cauſauit eam confuſionem  
deceptionemque nominum ſimilitudo, magna incautiſ  
decipula: vterque enim Svibertus; vterque Angluſ;  
vterque Northumbruſ; vterque ſub Egberto; vterque  
in Saxoniam profectus; vterque Saxonum Apoſtoluſ;  
vterque ſub Principe Carolo; vterque Epiſcopuſ; vter-  
que primuſ Epiſcopuſ Verdenſiſ ſiue Verdenſiſ, quam-  
quam non verè, ſcriptuſ; vterque viuſ & mortuſ mira-  
culiſ claruſ. Ingenuſ ſane Imperitiſ & improuidiſ lapſi  
offenſionis.

## DISSERTATIO CXLVI.

De Bruinſwico. Manifeſtatur iterum fucuſ  
Marcellini.



T magis impoſturam iſtiuſ Scripto-  
riſ ſub nomine S. Marcellini deliteſ-  
centiſ agnoſcaſ cap. 17. Bruynſwicũ,  
in quo S. Swibertuſ ſa cit concionã-  
tem, grandem vicum vocat, ſcilicet  
viventibuſ S. Willibrõrdo & S. Swi-  
berto Bruynſwicũ grandem vicum  
exiſtiſſe, amplè floruiſſe: quod ad-  
uerſatur probatiſſimiſ Germaniæ

Deſcriptoriſ, qui omneſ ortuſ Bruynſwici ad ſeriora  
tempora referunt. Conſulamuſ vnum Krantziũ accu-  
ratam Saxonie notitiã habentem. Iſ lib. 2. Saxonie  
cap. 34. de eiſ natiuitate loquens poſt morteſ Caroli  
Calui Imperatoriſ, que contigit anno Chriſti 877. Brunonẽ

Bbbb 2

inquit